

b 3. simpl. A.
35. 5 16.

non potest. Simplicia vero partium similarium, non vt priora similia, vnā qualitatem continent, sed plures, licet sensu simplicia videantur, vt brassica duas habet facultates, habet expurgandi & adstringendi, de quibus Galenus b, quæ ab accidentibus seu qualitatibus dependent. Alia sunt qualitatis primæ, alia secundæ, alia tertiæ, alia quartæ.

Quæ qualitatis sunt primæ & simplicissime, vel sunt temperata, vel intemperata. Temperata, quæ vires non ita euidenter habent, vt vel calida, frigida, vel sicca dici queant, vt inter Herbas adianthū, radices, asparagus: Fructus vuæ passæ: Semina, lentes: Succos oleum: Resinas, therebinthina: Gummata, mastyx: Axungias, humana: Excrementa, cera: Metalla, aurum: Gemmas, margaritæ: Terras, Lemnia. Intemperata vero, quæ sic calefaciunt, vel refrigerant, vel humectant, vel siccant, vt gradum aliquem in his contingant, suntq; alia calida, vt piper: frigida, vt hyoseyamus: humida, vt saccharum: sicca, vt acetum. Et sunt vel primi, vel secundi, vel tertii, vel quarti ordinis, horumq; ordinum est initium, medium & finis.

De Medicamentis secundæ qualitatis.

C A P. VIII.

Facultates seu qualitates secundæ, quæ primas immediate sequuntur, vel sequuntur caliditatem, vt rarefacientia: vel frigiditatem, vt densantia: vel siccitatem, vel humiditatem. Quas quali-

quali-